

Heinrich Rudolph Redecker    Johann Georg Dorsche

**Examen iuris ...**

**Septimum :**


Rostochi[i]: Richelius, 1668


**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn747237476>**


Band (Druck)    Freier  Zugang



RU jurist. 7. März 1668  
Redeker, Heinr. Rudolph.







74 311

I. N. D.  
**EXAMEN JURIS** xxxii  
**SEPTIMUM,**

Quod  
**PRÆSIDE**

*Viro Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo &  
Excellentissimo*

**DN. HEINRICO RUDOLPHO**

**Medice, J. U. D. & Prof. Publ.**  
celeberrimo,

Sereniss. Duc. Meckl: Consiliario intimo, Con-  
sistorii Ducalis Assessore gravissimo,

Dn. Patrono, ac Præceptore summa observantia  
colendo,

*Placido Eruditorum examini  
submitis*

**JOH. GEORGIUS DORSCHENS,**

Argentinensis.

**In Auditorio Majori,**

d. 7. Martii. 18.



**ROSTOCHI**

**Typis Jacobi Richelii, Sen: Typogr.**

**ANNO c18 186 L XIIX.**

1668

Examen juris

I.

Septem 1664

II.

Kleinbocken 1664

III.

—

IV.


—

V.

a Gültin 1666

VI.

Plaine 1667



JOH. GEORGII DORSCHEN  
Argentarius

In Auditorio Majori

in Rostocki  
ANNO 1667

Typis Jacobi Richelii Sen Typogr  
ANNO 1667



I. N. D.

Examen Septimum.  
AD TIT: X.  
DE TESTAMENTIS ORDINANDIS.

Responde  
dente  
JOH. GE-  
ORG.  
DOR-  
SCHEO.  
Argen-  
tin.

Ad Rubr.

1 Quæ est connexio §§. in hoc titulo?

**T**estamentum consideratur, ratione nominis *pr:* aut modi conficiendi, qui est, vel ex jure *veteri* civili §. 1. & *prætorio* §. 2. aut ex jure *novo*, quo aliud est testamentum *Scriptum*, cujus requisita respiciunt *Formam* §. 3. 4. *Testes*, quorum officium describitur §. 5. qualitas autem communis §. 6. specialis §. 7. 8. 9. 10. 11. & *Materiam* §. 12. 13. aliud vero est *Non scriptum*, seu *Nuncupativum* §. ult.

Ad pr.

2. Quid significat Testamentum?

Testamentum, per congruam allusionem nominis ad rem, ex eo appellatum est, quod sit testatio mentis, quoniam est voluntatis aut mentis solennis contestatio *l. 19. ff. de cond. & demonstr. l. 35. §. 3. ff. de hered. instit. junctâ l. 1. C. de SS. Eccl.* quæ derivandi ratio uti JCtis fuit communis *arg. l. 238. §. 2. de V. S. l. 1. de A. P. l. 2. §. 2. de R. C.* sic eâ à Stoicis hauserunt, *Cujac. 11. Obs. 37.* significata testamentum 1, ipsam sententiam testatoris *d. §. 1. Inst. l. 1. b. t. 2.* Ipsum codicem

Aa

seu



*l. 7. jur. eod. seu tabulas l. 1. ff. quem adm. testā. aper. l. 16. ff. de L. Corn. de fals. 3. hereditatem testamentariam l. fin. de bon. poss. sec. tab. l. 14. ff. de his qua ut ind. l. 2. C. de bon. matern.*

### 3 Quomodo definitur Testamentum?

*Voluntatis nostra justa sententia, de eo, quod quis post mortem suam fieri velit l. 1. ff. b. t. Dicitur Voluntatis nostra, testamentum enim non debet dependere ab alterius arbitrio l. 32. pr. de her. inst. ut ut ad interrogationem alicujus possit fieri l. 39. §. 1. de leg. 3. justa sententia, non tantum propter solennitates, l. 1. ff. de injust. rupt. & legitima requisita, sed etiam propter publicam auctoritatem l. 3. 4. ff. l. 3. C. b. t. l. 55. de leg. 1. l. 27. de R. J. l. 120. de V. S. De eo, h. e. de omni eo, adeoq; de tota hereditate, quia indefinita locutio æquipollet universali. In illis autem verbis magna differentia specificæ ratio latitat, quoniam etiam*

*codicilli sunt ultima testatoris voluntas, sed hereditas illis nec datur, nec adimitur §. 2. inst. de Codicill. Quod quis post mortem suam fieri velit, ut distinguatur à voluntate contrahentium, uti enim contractus sunt necessitatis l. 5. C. de O. S. Aita voluntas ultima ambulatoria est, ad ultimum usque vitæ spatium l. 1. C. de S. S. Ec. l. 4. ff. de adm. leg. l. 32. §. 3. ff. de donat. int. vir. & ux. l. 22. de leg. 3.*


### 5 Testamentum cui juri asscribitur?

*Ipsum testandi factum, quo in mortis eventum rerum alienatio fit, juri gentium rectè scribitur: quia testandi facultas cognata est dominio, ejusq; effectum declarat, idq; si maxime mores gentium taceam, ex S. S. probatur Gen. 15. 2. Deut. 21, 16. Syrac. 33. 24. quatenus autem testamentum certam & determinatam formam certasq; solennitates, quas miseram nimiamq; diligentiam vocavit Lucius Titius*

*l. 88,*

l. 88. §. ult. de leg. 2. ex jure positivo habet, ad jus civile omnino refertur l. 4. ff. l. 21. C. per quas pers. nob. acquir.

5. Estne quadam succincta testamentorum tabula?



Aa 2

Ad §. i.

Ad §. 1.

## 6. Quomodo de jure veteri civilis fiebant testamenta?

Olim duo testamentorum genera in usu fuerunt; *alterum* in pace & otio, quod calatis, h. e. convocatis comitiis in concione, ut majori fide constaret, & autoritate populi confirmaretur, fiebat: *alterum* militare, quod procinctum declarabatur vel in procinctu: & expediebatur, cum viri accincti in praelium exituri essent. Quonia autem raro agebantur comitia, nec semper, nec omnes cives, in praelium ibant, tertium genus testamentorum, ne contra voluntatem intestati cives decederent, accessit, quod dicebatur per as & libram. Hoc autem fiebat per emancipationem [h. e. imaginariam venditionem], quinque testibus, qui quinque classes populi Romani representabant, *A. Gell. 10. noct. att. 28.* libripende, qui nummum librae impositum testatori ad-

pendebat, civibus Romanis puberibus presentibus, & eo, qui familiae, i. e. hereditatis, emptor dicebatur, *A. Gell. 15. 27.* Hic autem non fuit heres, sed hereditatem accipiebat, ut eam heredi restitueret §. 10. h. Hoc autem testamento duae res, inquit *Ulpian: tit. 20. in fr. §. 8.* agebantur, familiae mancipatio, & nuncupatio testamenti.

Ad §. 2.

## 7. Quam formam Praetor introduxit?

Jure Praetorio solennitas illa mancipationis quidem sublata est, verum in locum libripendis, & familiae emptoris, duo testes surrogati, & ita septem testium signa sufficiebant. Noluit enim Praetor pauciores, quam qui de jure civili requirebantur, solennitati testamentariae adhiberi homines, inde ex veteri jure civili numerus testium septenarius qui ex edicto praetoris descendisse in §. 3, dicitur, originem sumsit, quem postea *Theod. & Valent: l. 21. C. h. t. novissime*

vissimè autem Maximilianus in R. J. de Ao. 1512. sub Tit: von Testamenten / approbarent. Sed de Jure Canonico, quod tamen in terris Imperii hoc casu non observari, testantur *Clar: recept. sent. S. testamentum q. 57. n. 2. Grass: S. eod. q. 56. n. 3.* duo vel tres sufficiunt *c. 10. X. b. t.* ubi Alex. III. jùs civile, tanquam divinæ legi, & Patrum institutis contrarium, improbat: Sed quid ille ad *c. Præsul. 2. q. 4.?* Statuto tamen & consuetudine, quia testandi forma est Juris civilis *S. ult. J. per quas person. nob. acquir.* minor numerus induci potest *arg. S. 11. Inst. de J. N. G. & C.* quia numerus ille per se justus non est, sed potiùs ex arbitrio & sanctione Legislatoris, vel ex usu populi.

Ad S. 3. & 4.

**8. Quenam est nova testandi forma?**

Jure novo tripertitum esse videtur jus testandi, quatenus ex jure civili, prætorio, & constitutionibus Principum coarctavit: Ita ut 1. septem testes

præsentes, in quorum numero etiam Notarius, vel qui testamentum scripsit, esse potest *l. 27. ff. b. t. Nov. 73. c. 5.* ad id 2. specialiter rogati. 3. Testamentum, seu scripturam, in qua suam voluntatem contineri testator dixit, si omnes scribere possint subscribant, 4. subsignent, adhibeantur, & ita 5. testamentum, nisi tempus sit contagiosum *l. 8. C. b. t.* uno contextu fiat, 6. à testatore, si scribere possit subscribatur, nisi sit holographum *l. 28. C. b.* 7. Institutionemq; heredis contineat, 8. cujus nomen manu testatoris vel testis cujusdam, (quod tamen novissima constitutione *Nov. 119. c. 9.* abrogatum nec *d. R. J. correctum est*) scribatur *l. 29. C. b. t. S. 3. & 4. J. eod. vide l. 21. C. b. t. & d. R. J. de Anno 1512.*

**9. Potestne contractus celebrari in testamento?**

Quoniam inter contractum qui actus inter vivos respicit, & inter testandi jus, quod ad ultimam voluntatem refertur, oppositio est, contractus

A a 3 in te-

in testamento, nisi forte an ad testamentum pertineat, celebrari nequit §. 3. *h. l. 20. de V. S.* quia contractus est conventio plurium *l. 7. ff. de Pact. & necessitatis l. 5. C. de O. & A.* testamentum autem est unius sententia *l. 1. ff. b. & quidem ambulatoria l. 4. ff. de adim. leg.* Jus tamen in re in testamento æque constitui *l. 26. ff. de pign. act.* ac contractus initus illo probari potest *l. 37. §. 5. de leg. 3.* Ad §. 5.

10 *Quodnam ergo est officium testium?*

Ut testamentum subscriptione, & ob signatione suâ muniant: subscribere autem singuli debent propriâ manu, *l. pen. C. h. t.* vel si scribere nesciant, unus pro altero scribere potest *l. ult. C. d. t.* Eodem modo & subsignare quisq; vel proprio, vel alieno annulo potest *d. l. 21. C. h. t. l. 22. §. 2. ff. eod.* nec refert, sive annulo, sive alio instrumento, certo tamen caractere notato, signetur *arg. l. 1. §. fin. l. 4. ff.*

*testam. quemad. aper.* unde etiam in *d. R. J.* tantum sigilli mentio fit, quia testamentum, non ex materiâ & qualitate signi, sed tantum ex fide testatoris pendet, potestq; testis cognoscere signum, sive suum sive alienum, sive annulus, sive aliud instrumentum fuerit.

Ad §. 6.

11 *Quanam est qualitas testium?*

Ut sint idonei, i. e. ut sit cum illis testamenti factio, si non activa, scilicet ut ipsi habeant testamenti factionem, tamen passiva *l. 16. ff. b. t.* seu ut heredes institui, aut ex testamento aliquid capere possint §. 4. *J. de hered. qual. & diff.* interim nec hoc indistinctè, aliàs mulier & impubes possent esse testes, sed secundum leges, erit intelligendum, nisi aliundè, & ex speciali prohibitione, juris per modum exceptionis, impedimentum obveniat. Prohibentur autem quidam in totum, uti 1. Mulier, quia nec comitis intererat, nec

rat, nec in procinctu stabat, nec civis Romani nomine dignabatur, nec propriè pubes dicebatur, nec omni fide major, quã testamenti solennitas exigebat, erat, cū & turpe habitū fuerit, & in conveniens, virorum conventibus mulierem interesse. 2. *Impubes & furiosus*, nisi hic habeat dilucida intervalla *l. 20. §. 4. ff. junctā l. 9. C. b. t. 3. Servus l. 20. §. 7. h. l. 32. de R. J. 4. Mutus, Surdus, & cæcus*, quia hic videre, ille audire, iste loqui, omnes autē scribere & signare nesciunt *Ulp. d. l. l. B. 10. C. qui testam.* attamen intelligentia sermonis non exigitur *l. 20. §. pen. ff. h. t. 5. Prodigus*, cui bonorū administratio interdicta est, quia furiosis comparatur *l. 1. ff. de curat. fur. 6. Intestabilis*, seu cujus testimoniū nō recipitur, ut puta qui, propter delictum aliquod, testis in testamento esse nequit, *l. 26. b. t.* ut delicto publico *l. 13. b. t. majestatis l. 5. ad L. Jul. majest. ob carmen famosum l. 18. §. 1. b. vel repetundarum l. 20. §.*

5. ubi legendum *non posse d. l. aut hæreseos damnatus l. pen. C. de heret.* Vitiosa autem est illatio: Potest esse testis in judicio, ergo & in testamento, vel: potest esse testis in testamento ergo etiam in judicio, *l. 6. ff. b. t.* quia à diversis malè infertur.

Ad §. 7.

12. Ergo neutiquam servus admittitur?

Servus ex parte admittitur quia imperatores ex liberali & benignā interpretatione, illi testamento in quo servus, qui communi opinione, tempore conditi testamenti, liber judicatus, & testis adhibitus est, subvenerunt *l. 1. C. de Testam.* non autem hic communis error uti perperam statuitur, jus facit, sed favor ultimæ voluntatis. In liberis etiam personis, dummodo tempore testamenti facti habiles fuerint, idem obtinet, quia conditio testis tempore conditi testamenti duntaxat inspicitur *l. 22. §. 1. ff. de testam.*

Ad

Ad §. 8.

13. *P. Junone plures testes ex una domo alieno testam: adhiberi?*

Domus hic non significat habitationem, ut in *l. 5. §. 2. de injur. l. 203. de V. S. l. 8. ad L. Jul. de Adult.* sed familiam *l. 195. §. 2. de V. S. l. 17. ff. de Testib.* Ex unâ autem familiâ plures possunt sumi, in eodem testamento, testes, *l. 22. ff. h. t.* quia metus conspirationis hic cessat, cum suspicionibus non usque adeo indulgendum sit, ut quisq; gratuito malus præsumi debeat, cum & testamenti factio juris publici sit, quod jus patrium non attendit *l. 3. ff. l. 13. C. h. t. junctâ l. 14. ff. ad Sc. Trebell.*

Ad §. 9. *in testibus.*

14. *An Personæ ejusdem familiae sibi invicem possint esse testes in testamento?*

In testamento filii jure militari testantis, nullum est dubium, quin pater possit esse testis, cum & sine teste valeat *prætit. seq.* proinde non præsu-

mitur Ulpianum, in *l. 20. §. 2. b. t.* illo de casu tam anxie fuisse sollicitum, ut etiam Marcelli accerferet sententiam, *arg. l. 27. d. t.* cum nec in dicto titulo de testamento militari, sed paganico Jctus sit sollicitus, adeoq; à gravi Jcto alienum, id, de quo nullus dubitat, impensè curare, cum & domesticum haud videatur testimonium, quando pater filio, de peculio castrensi testanti, testis est, præprimis si ex illo testamento patri nihil acquiratur *d. l. 20. §. 3. junctâ l. 9. 17. ff. de castr. pec.* Cum & filius non possit patri imperare, ut pater filio *l. 6. ff. de Testib.* Justinianus tamen, qui ad patriam potestatem respexit, & inde domesticum testimonium definivit *arg. l. 6. ff. quod cui. un. nom. l. 4. §. 1. ff. de excus. tut. l. 1. C. de mun. & hon. patrem,* filio de peculio castrensi post missionem testanti, testem esse posse negat, §. 9. *b. t.* propter jus patriæ potestatis, quod per fictionem quandam, unitatem perso-

personæ inter patrem & filium inducit *l. fin. C. de impub. & al. subst. §. 4. J. de inut. stip. l. 22. §. 1. C. de agr. & censit. lib. 11.*

15; Sed quid si filius sit emancipatus?

Quoniam vinculum illud unitatis, quod expatriâ potestate dependet, sublatum est per emancipationem, emancipatus filius, patre teste adhibito, rectè testatur *arg. d. l. 20. §. 3. eadem ratione & filius quilibet in matris testamento, vel avi materni; & frater in testamento fratris emancipati ad testimonii dictionem, quia Justinianus illos duntaxat repellit, qui sunt in ejusdem patris potestate, proinde argumentum à sensu contrario valide ducitur ex §. 9. b. admittuntur, quamvis aliâs in jure pro suspectis habeantur testibus l. 9. ff. l. 3. 6. C. de Testib.*

Ad §. 10.

16. Potestne heres esse testis?

Quoniam respectu effectus,

seu additionis hereditatis, totum negotium inter testatorem & heredem agi videtur, heres, vel qui in ejus potestate, vel qui cum eo in alterius potestate est, testes adhiberi non possunt, ne sibi ipsis testimonium præstare videantur *l. 10. C. de Test. uti enim olim illud fuit arbitrii, & honestatis duntaxat, quia inter testatorem & familiæ emptorem res omnis agebatur, ita hodie factum est necessitatis §. 10. b. Cic. pro Milon.*

Ad §. 11. Legatariis autem.

17. Quid de legatariis aut fideicommissariis est statuendum?

Quia hi non sunt juris successores, sed rei alicujus legata ab herede præstanda, quatenus scilicet negotium principale cum iis non agitur, testes esse haud verentur *l. 22. C. h. r. ut ut omnibus ac singulis aliquid legatum sit l. 14. de reb. dub. Atque ita hic perdit officium suum regula juris, quâ nemo potest esse testis in propria causâ*

Bb causâ



causâ. Fideicommissarii tamen universales, quia pro heredibus habentur §. 3. de fideic. her. l. 4. §. fin. de bon. libert. à testimonii dictione arcentur.

Ad §. 12. Nihil autem.

18 *Quanam est materia testamentorum in qua?*

Testamentum in quâlibet materiâ scribi potest, quia tabulas testamenti accipere debemus omnem materiæ figuram, sive igitur tabulæ sint ligneæ cerâ oblitæ, lignum enim pro tabula metonymicè sumitur l. 19. de bon. poss. cont. tab. hinc cerati codicilli l. 52. pr. de leg. 3. sive chartæ l. 1. §. 4. de bon. poss. sec. tab. quæ fiebant ex papyro, fruticis in Ægypto genus, Plin. l. 13. c. 11. §. 12. sive membranæ, seu membranei codices d. l. 52. d. l. 1. quæ pergamenæ, ab urbe Pergamo, ubi primum paratæ dicuntur, Plin. d. l. chartæ autem à membranis, quia & materiâ differunt, separantur l. 9.

ff. de A. R. D. sive codices ebori, sive e corio alicujus animalis facti d. l. 1. sive in phylira aut tilia conficiantur d. l. 52.

Ad §. 13. Sed Unum.

19 *Potesne unum idemq; testamentum scribi in diversis exemplis seu codicibus?*

Id maximè fieri potest, & utile est, dum modo quælibet scriptura sit authentica, & per se, secundum obtinentem observationem, probet l. 24. ff. h. t. debet itaq; unum idemq; esse testamentum, ut ut bis, securitatis causâ, scriptum, l. 1. §. 5. ff. de bon. poss. sec. tab. ne unum per alterum rumpatur §. 2. Inst. quib. mod. test. inf.

20 *An autem duo in iis dē tabulis testamenta facere possint?*

Quamvis de jure civili captatoria videatur talis dispositio arg. l. 70. ff. de hered. instit.

*lit. l. 64. de leg. 1.* cum potius prohibita, quam adprobata legibus appareat *l. 20. ff. de vulg. Spup. subst. l. 28. C. de testam.* quia testamentum debet uno fieri contextu *l. 28. C. b. t.* Attamen communis DD. opinio à jure civili haud alienum putavit, si conjuges reciprocum conscribant testamentum *arg. l. ult. C. de Pact. junctâ l. 9. §. fin. ff. de donat. inter. vir. & ux. l. 27. l. pen. ff. de mort. caus. donat.* quod & Imp. *Valentiniani Novella 4. Cod. Theod. adjuncta,* ut ut pro lege recepta haberi nequeat, expresse adprobat, Quamvis autem ejusmodi testamentum reciprocum in unâ tabulâ, iisdemq; solemnitatibus adhibitis, & eodem tempore, conficiatur, interim non unum idemq;, sed duplex est testamentum, & duplex hereditas, cum & testes ab utroq; testatore debeant specialiter rogari, cum & unum testamentum, altero licet annulato, possit subsistere: proinde etiam libera.

cuiq; conjugi manet mutandi & pœnitendi facultas, ut nec pacto constringi possit, *l. 22. ff. de Leg. 3.* quia morte demum confirmatur & irrevocabile fit *arg. l. 78. §. 7. ff. ad SCt. Treb.* Jure tamen Lubicensi illa testandi ratio improbatur *p. 2. tit. 1. art. X.* verum illud tamen statutum ultra dictæ civitatis districtum, haud obtinere, usu probatur.

Ad §. 14.

21. *Quæ nam sunt requisita testamenti nuncupativi?*

Nuncupativum testamentum est, quod sine scripto celebratur: nuncupare enim est verbis & lingua pronunciare *l. 25. b. t.* vel palam dicere & nominare heredis institutionem *l. 21. l. 29. §. quemadmodum C. d. t.* requirit autem hoc testamentum omnes solemnitates, quas exigit testamentum scriptum, exceptâ scripturâ, & subsignatione, & quæ eò pertinent. *l. 21. §. 2. C. d. t. junctâ l. 26. d. t. R. J. de*

B b 2 Anno

Anno 1512. tit. von Testamen-  
ten §. aber die Form. Nec ta-  
men desinit esse testamentū  
nuncupativum, si postea in  
scripturam redigatur, vel No-  
tario, qui eam in scripturam

probationis causā redigat, in  
præsentia septem testium, di-  
ctetur, quia hoc casu scriptura  
non ad substantiam actus, sed  
ad ejus probationem pertinet  
*arg. l. 4. ff. de pign.*

## AD TIT: X.

De

## MILITARI TESTAMENTO.

## Ad Rubr.

22. *Quenam sunt testa-  
menta imperfecta, seu mi-  
nus solemnia?*

I. **T**estamentū Parentis in-  
ter liberos, quod, dum-  
modo de voluntate testatoris  
constiterit, nullos præterea  
testes requirit *d. l. 21. §. ex im-  
perfecto & Auth. seq. C. de te-  
stam.* ut ut liberi inæqualiter  
sint instituti *l. 16. l. ult. C. fam.  
erfo.* 2. Testamentum rusti-  
ci, in quo quinque sufficiunt te-  
stes *l. ult. C. d. t. d. R. 7. §.* Item  
und auff dem *Can.* imo jure  
Canon. coram duobus testi-  
bus & parcho factum valet,

*c. cum esset X. de testam.* 3.  
Testamentum ad pias causas  
coram duobus testibus con-  
fectum *c. 11. X. de Testam.* 4.  
Testamenta Principi oblata,  
vel ad acta relata, quæ publi-  
ca dicuntur, nullam præterea  
requirunt solennitatem, *l. 19.  
C. d. t.* 5. Testamentum tem-  
pore pestis confectum, in quo  
ut testes simul conveniant,  
haud opus est, *l. 8. C. d. t.* 6.  
Testamentum militis, quod  
sine testibus, dummodo de e-  
jus voluntate constiterit, va-  
let, *l. 35. l. 40. ff. l. 15. C. b. t.*

23. *Quomodo coherent §§  
in hoc titulo?*

Testamentum militare,  
vel

vel est verè castrense, de quo agitur assertivè, & ita consideratur respectu cause, eaq; externâ pr: vel internâ, formali §. 1. subjectivâ §. 2. 3. vel effectus, §. 4. 5. vel quasi castrense, de quo agitur negativè §. 6.

24. *Quanam est causa impulsiva privilegii militaris?*

Est nimia militum simplicitas l. 1. ff. b. t. quæ hic imperitia vocatur, quia arma potius quàm leges scire præsumuntur l. ult. in fin. C. de jur. delib. l. 31. in fin. C. locat. adeoq; favor militum, qui oritur ex labore què pro Repb. subeunt, & ex functionum periculis l. un. de bon. poss. ex testam. mil. cujus causâ multa ipsis privilegia sunt indulta idem luadet.

25. *Qua est causa efficiens principalis?*

Princeps Romanus, & primus quidem C. Julius Cæsar, cujus concessio tantum temporalis fuit, quem secutus T. Vespasianus, & hunc Domitianus, Nerva, & Trajanus,

qui plenissimam indulgentiam in milites contulerunt, ut docet Ulpianus l. 1. b. t. unde, ex constitutionibus principibus propria atq; singularia jura in testamentis eorum observari, docet Gajus l. 2. b. t.

26. *Qua sunt hujus privilegii requisita?*

1. Ut is qui testatur sit miles, cujus nominis derivatio est in d. l. 1. §. 1. b. t. Militem autem tria faciunt, sacramentum, cinctura, & relatio in numerum, seu inscriptio in matriculam l. 11. 38. §. 1. §. 43. b. t. l. ult. C. loc. nec tamen minus ille miles est, qui de numero in numerum est transferendus, quamvis eo nondum devenerit l. un. in fin. ff. de bon. poss. ex test. mil: 2. Ut sit occupatus in castris & expeditionibus pr: b. l. pen C. eod. v. R. J. de Ao. 1512. sub tit. von Testamenten ibi: in Übung des Streits seyn/ Hoc autem non tantum constitutioni Justiniani, sed & Antonini l. 1. d. 1. & Constantini l. 15. d. 1. adscriben-

Bb 3

scribendū videretur, nisi has leges interpolavit Tribonianus, quod verosimile fit ex *Ulp. Fragm. tit. 23.*

27 *Quomodo itaq; testamentum militis considerandum est?*

*Vel de jure Justiniano, quo perinde est, sive illud factum sit in expeditione, seu quate- nus militant, vel in castris: utroq; enim casu nulla requiritur ordinationis solennitas, dummodo de voluntate ejus constiterit l. 1. l. 40. ff. b. S. 3. Inst. eod. etiam si quid in vagina, aut clypeo, vel arena literis sanguine suo rutilantibus scripserit l. 15. C. b. si autem in praesidiis, vel stativis hybernis vel suis aedibus, ubi citra expeditionum necessitatem degit, factum sit, ubi peritos consulere, & testes pro lubitu adhibere potest l. 10. ff. de bon. poss. l. 2. S. fin. ff. qu. ord. in bon. poss. pr. in fin. S. 3. b. 1. vel de constitutione Maximiliani, quā illi, qui in expeditione sunt, nullā*

adhibent testamento suo solennitatem, quia solā voluntate constat: qui in castris, agunt duos adhibere debent testes: qui in Praesidiis, communi jure testantur, d. R. J. S. oder von Nitterm.

Ad §. 1.

28 *Quomodo constare debet de voluntate militis?*

Perinde est, miles scriptis, an sine scriptis, testetur, facit enim testamentum quomodo vult, aut quomodo potest l. 1. pr. l. 40. ff. l. 3. C. b. 1. adeoque quod hic de convocatis hominibus dicitur, potius narrative quam dispositive est intelligendum. Interim de ejus indubitata voluntate certo constare debet, l. 24. b. 1. quā adeo, si sine scripturā testetur, ad evitandas fraudes, duobus testibus, si aliunde de eā non constiterit, debet probari l. 40. pr. b. ibi, *legitimis probationibus*, ne molestum sit militi, quod in ejus commodum introductum est *arg. S. ult. J. de his qui sunt sui* l. 11.

*l. n. ad SCt. Vell. l. 24. §. 1. de minor. l. 12. §. 1. ff. de adm. tut. junctâ l. 25. ff. de LL. sufficit ergo cujusvis generis probatio, dummodo legitima existat.*

Ad §. 2.

**29. Quid de milite muto & surdo statuendum**

Quæ in hoc §. de muto & surdo dicuntur, quibusdam paradoxa videntur, cum eadem, quæ hic de milite dicuntur, pariter de pagano muto & surdo disposita sint *l. 10. C. qui test. fac. poss. junctâ l. 4. ff. b. t.* præterea qui omninò duobus illis sensibus vitio naturæ caret, quia nō potest examinari, nec sacramentum præstare, nec Ducis audire imperium, nec classici signū intelligere, ideo nec recipi in numerum debet: cui autem per casum in bello illa accidit calamitas, ob causam dimitti solet *arg. d. l. 4.* imò nec voluntatem suam, de quâ tamen præprimis constare debet, nutu explicare potest, quia loqui nequit *l.*

*21. ff. de leg. 3.* Verum enim vero inter paganum & militem mutum vel surdum hoc interest, quod ille de jure veteri debuerit veniam à Principe impetrare, cum hic simpliciter testari possit: vel potius quod hic, post acceptum illud vitium, jure militari, ante missionem, adhuc possit testari, ita ut nec hoc casu restringi Imp: privilegium suum voluerit *d. l. 4.* dummodo ex Constitutione Justiniani, quæ est in *l. 10. C. qui test. fac. poss.* miles hic aliàs de jure communi testari possit, junge *§. 3. tit. seq.*

Ad §. 3.

**30. Quamdiu valet testamentum jure militari factum?**

Testamentum à militante, vel in castris degente factum, post missionem honestam, aut causariam, quia ignominiosa dimissio militaria privilegia adimit, *l. 26. b. t. l. 2. §. 2. ff. de his qui not. intra annum valet l. 21. 38. ff. b. t. l. 5. C. eod. junctâ*

junctâ *d. l. 2. l. 13. §. 3. de re mil.* Nec refert, si conditio institutioni adjecta post annum demum existat, quia illa retrotrahitur ad tempus mortis refertur *l. 38. ff. h. t.* quia aliud est testamenti formalis subsistentia, aliud ejusdem effectus. Imò si miles, ex delicto militari, capite damnatus sit, jure militari testari potest *l. 11. ff. h. t.*

Ad §. 4.

31 *Testamentum ante militiam non jure factum quomodo valet?*

Si testator ille in militia voluntatem suam, verbis vel facto, scilicet illi testamento aliquid addendo vel detrahendo, declaraverit, testamentum illud, quasi ex novâ militis voluntate, jure militari valet, *l. 20. §. 1. l. 25. l. 38. b. t. l. 8. §. 4. de jure codic.* Si vero testamentum illud ab initio subsistat, ut ut periculo rptionis subjaceat, sufficere videtur si voluntas testatoris, durante militia, non mutetur *l. 15. §. 2. junctâ l. 7. 8. 9. h. t.*

Ad §. 5.

32 *Quid si miles testator minimam capitis diminutionem passus sit?*

Quamvis pagani testamentum illâ capitis diminutione irritum fiat *§. 4. Inst. quib. mod. test.* attamen ex interpretatione Jurisconsultorum receptum est, quod in testamento militis idem haud obtineat *l. 6. §. ult. ff. de injust. rupt.* cum videatur ex novâ militis voluntate valere *l. 22. b. t.* filiusfam: miles enim in peculio vice pro patrisfam. fungitur *l. 2. ff. de SC. Maced.*

Ad §. 6.

33 *Quid iuris filios: competit in peculio q: castrensi?*

Quod æque de illo ac de castrensi peculio possit testari, cū in illo pro patrefam: habeatur, non tñ. jure militari, sed communi, adhibitis scilicet omnibus solennitatibus, quia milites togati in tanto non versantur periculo ac milites armati, nec citra turpitudinem

nem imperitiam legum & simplicitatem allegare possunt *l. ult. §. 1. C. de inoff. test. l. ult. C. de castr. peculio*, Quasi autem castrense peculium Con-

stant: Imperat. videtur primum instituisse *l. 2. §. de priv. cor. qui in sac. pal. mil. l. un. C. de castr. om. pal. pecul. lib. 12.*

AD TIT. XII.

QVIBUS NON EST PERMISSUM FACERE TESTAMENTUM.

Ad Rubr.

33. *Qua est connexio §§. in h. titulo?*

**Q**ui testari prohibentur vel sunt cives Romani, & tunc aut ex ratione juris civilis *pr.* aut juris naturalis, ob vitium animi *§. 1. & 2.* vel corporis, quod concernit sermonem in *§. 3.* visum in *§. 4.* vel sunt capti ab hostibus *§. ult.*

Ad *pr.*

34. *Potestne filiusfam: testari?*

Non, quia *L. XII. tab.* facultatem testandi Patribusfam: duntaxat concedit *l. 120. ff. de V. S.* nec refert, parentis consensus, quia testamenti factio est juris publici *l. 3. ff. b. t.* accedat *l. 6. ff. d. t.* unde adeo

vera differentia inter testamentum, & mortis causa donatione, quae privati juris est, sumenda, cum haec filios permittatur *l. 25. §. 1. ff. de don. mort. caus.* Nec refert si sit peculium profectitium, siue adventitium; & hoc plenum vel minus plenum, quia praeter hos, qui castrense aut quasi castrense peculium habent, *l. ult. C. de inoff. testam.* junctam *l. 2. ff. de SC. maced.* nulli filios testamenti factio activa conceditur, quamvis suae potestatis factus decesserit, quia ab initio fuit inutile *pr. in fin. b. t.* & ita hic regula catoniana obtinet. Quamvis enim filios in peculio adventitio pleno habeant liberam administrationem inter vivos

Cc

Nov



Nov. 117. c. 1. ubi *daucus* legitur, tamen testamentum facere prohibentur. *l. pen. Et ult. C. b. t.*

Ad §. 1.

**35. Possuntne impuberes & furiosi testari?**

Neutiquam; Non enim videntur tale habere animi iudicium, seu stabilem mentem, uti loquitur Justin: Imp. in *l. fin. C. de test. mil.* quare requiritur in illis, qui super bonis suis universis valide & constanter testari possunt *l. 9. C. b. t. nec defectus hic à tutore vel curatore potest suppleri, quia testamentum ex alterius arbitrio non debet dependere, sed ipsius testatoris voluntas esse l. 11. C. de Testam. mil. l. 32. ff. de hered. inst.* Quoniam autem & mente capti, mente carent, inde pariter sub hoc §. continentur *l. 9. C. de impub. Et al.* nam furiosi & dementis nulla est voluntas, ergo nullū etiam testamentum *l. 2. ff. de inoff. test.* Testamentum tamen ab his

ante furorem, vel tempore induciarum, si nempe dilucida intervalla habeant, factum, modo id sanā mente inceperint & consummaverint, valet *d. l. 9. C. b. t. l. 8. ff. de his quæ sunt. l. fin. ff. de inj. rupt. Et irr.* dummodo in conspectu inumbratæ quietis non fuerint constituti *l. 18. §. 1. ff. de A. P.*

Ad §. 2.

**36. Quid de prodigo statuendum?**

Quamvis hic non destituitur animi iudicio, quia cum ratione insanire videtur, attamen quia ipsi, propter pravam suarum rerum administrationem, ne ad furiosum suarum rerum exitum proruat *l. 12. §. 2. ff. de tut. Et cur. dat. bonis à Præatore interdictum est, ideo etiam familiæ mancipatio, per quam fiebat testamentum, prohibita l. 16. l. 18. ff. b. t. Ulp. in frag. t. 1. 20.* Nec refert si fortè verè prodigus nō sit, quia præsumtio est pro Iudice, cuius autoritas privatorum factō non est convellen-

vellenda, arg. l. pen. S. ult. ff. de curat. fur. Observare tamen Pratore[m] oportet, ne cui temere curatorem det, l. 6. d. 1.

Ad §. 3.

37. Quando muti & surdi possunt testari?

Qui muti & surdi sunt natura, testari non possunt, quia nec testamenti rationem sciunt, nec voluntatem indubitata[m] explicare possunt. Si autem casu illud incommodi sustineant, & vel alias scribere animi sensa possint, nec testamenta facere prohibentur l. 10. C. b. 1. Olim tamen simpliciter testari nequibant Ulp. d. l. nisi id a Principe impetrassent l. 7. ff. b. 1.

Ad §. 4.

38. Quomodo Cæcus testamentum facit?

Cum loqui & audire cæcus possit, etiam testamenti factionem habet, modo 1. adhibeat septem testes, & tabulariū: vel 2. si hic haberi nequeat, octavum testem: 3. co-

ram his suam exprimat voluntatē, nominetve circumscriptivè heredes: 4. unoq; loco ac tempore omnia conficiat: 5. Notarius autem, vel ejus loco octavus testis illud in scripturam redigat: & ita 6. subscriptio ac signacula testium sequantur l. 8. C. b. 1.

Ad §. 5.

39. Quid juris circa captivos?

Testamentum in captivitate, quia hæc cives Romani esse desinunt, factum, non valet, ut ut captivus postea in civitatem revertatur l. 8. b. 1. Si autem ante captivitatem testamentum factum fuerit, id, si revertatur, valet jure postliminii, quod fingit eum in civitate mansisse §. 5. quib. mod. jus P. P. solv. Si vero apud hostes moriatur, ideo valet, quia L. Cornelia, eum, primo captivitatis momento, ceu civem, romanum decessisse fingit, l. 12. ff. b. 1. l. 18. ff. de Capt. & postl.

Cc 2 AD

AD TIT: XIII.  
DE  
EXHEREDATIONE LIBE-  
RORUM.

Ad Rubr.

40. *Quid est exhereditio liberorum?*

**E***st actus testamentarius, quo quis hereditate legitima privatur. Dicitur autē actus testamentarius, quia hereditas, seu jus succedendi, codicillis nec datur, nec adimitur §. 2. f. de codic.*

41. *Quotuplex est exhereditatio?*

(1) *Alia est odiosa, quæ fit in odium liberorum, quæ ab hereditate paterna plane removentur, & omni commo- do privantur: Alia favorabi- lis, quæ pro solennitate testa- menti accipitur, & fit bonâ mente, ut per eam, si forte succedendi jus sit molestum, liberis exhereditatis consula- tur l. 18. ff. de lib. & postb. l. 16. §. 2. ff. de Cur. fur. l. 12. §. 2.*

*l. 47. de bon. libert. 2. Alia est ex- pressa, quæ fit nominatim pr: b. Alia tacita, quæ fit per præ- teritionem §. 7. b. t. 3. Alia est liberorum, alia parentum, alia fratrum & sororum §. 2. Inst. l. 14. 29. ff. l. 27. C. de in off. testam. 4. Alia justa, quæ fit ex justâ causâ, alia injusta, ubi vel nulla causâ adest, vel si, quæ à testatore ascripta est, probari nequeat Nov. 115. C. 3.*

42. *Quomodo liberi consi- derantur in b. tit.*

*Quatenus quidam sunt no- minatim exheredandi, vel he- redes instituendi; unde hunc titulum de necessariâ heredis institutione agere rectè dicitur: si enim sui heredes præte- reantur, ita ut nec nominatim exheredati nec heredes insti- tuti sint, quamvis illis aliquid legatum fuerit, l. 30. ff. de lib. & postb. testamentum dicitur ipso*

ipso jure nullum esse, l. 1. ff. de inj. rupt. & irr. Quidam autē præteriri, vel inter ceteros exheredari possunt. S. ult. h. t. l. 29. §. 10. ff. h. t. l. 4. C. delib. præter.

**43 Quomodo coherent § § hujus tituli?**

Exheredatio vel est expressa, vel tacita, Illa consideratur, de jure veteri, quatenus liberi sunt naturales, vel civiles, naturales sunt in potestate nati, pr. aut nascituri, qui veri §. 1. quasi §. 2. extra potestatem, ut emancipati §. 3. civiles §. 4. de jure novo §. 5. Hæc, quæ fit per præteritionem, consideratur in milite §. 6. & in matre §. 7.

Ad pr.

**44. Quid considerare debet testator circa heredis institutionem**

Principale jus esse dicitur in l. 30. ff. h. t. ut Pater filium quem in potestate habet, heredem instituat, vel exheredem nominatim faciat, hoc enim substantiale requisitum est testamenti paterni, nã si e-

um præterierit, i. e. nec heredem instituerit, nec exheredaverit, inutiliter testabitur, testamentumq; ejus usque adeo nullum est, ut nec legata debeantur l. 17. ff. de inj. rupt. & irr. l. 27. §. 12. ff. ad SC. Treb. d. l. 30. ff. h. t. etiamsi præteriti forte heredes non existant, quia testamentum ab initio non valet l. 2. C. de post. her. l. 7. h. t. l. pen. de R. J.

**45. An idem de filiabus, & nepotibus ex filius observandam?**

Jure antiquo, si præteriti fuerint, illa præteritio nõ efficebat testamentũ inutile & nullum, quod & injustum dicitur l. 3. §. 3. ff. de inj. rupt. sed portionem certam, semissem scilicet aut portionem virilem, quatenus extraneus, vel frater institutus erat, ac si ipsi scripti heredes essent, consequerentur. Ulp. in fr. t. 22. §. 14. Paul. sent. 4. §. 27. Caj. 2. Insti. 7. §. 1. novo jure tamen hi omnes sunt instituendi, vel exheredandi §. 5. h. aliàs vel ipso jure testamentum evertunt, vel

Cc 3                      contra

contra tabulas bonorum possessionem petunt *l. 4. C. de lib. prat.* Ad §. 1.

46. Nullane ratione sustineri potest testamentum in quo suus heres est præteritus?

Si filius præteritus, post mortem patris, ejus voluntatem adprobando, ab hereditate, ejus se abstinuerit præteritio jure testamentum illud, modo aliàs justum sit, ex bono & æquo, licet subtilitas juris refragari videatur, sustinetur *l. 2. de bon. poss. sec. tab. l. 12. l. 17. ff. de inj. rupt. & irr.* alius insuper casus est in *l. 12. §. 1. ff. de bon. poss. cont. tab.* Clausulã etiam codicillarem, idẽ operari, DD. opinio est, ut testamentum, in quo filius est præteritus, in vim fideicommissi, sustineatur, *Gail. 2. Obs. 114.*

47. Quid de posthumis disponendum?

Posthumi, seu posthumatum patrem natl, *l. 3. §. 1. ff. de inj. rupt. l. 164. de V. S.* quamvis committere per rerum

naturam non possint, ut secundum *Nov. 115. c. 3.* cum effectu exheredentur, attamen, pro formali testamento, vel heredes sunt instituendi, vel exheredandi *§. 1. b. l. 4. in fin. C. de lib. prat.* Nam uti exheredati habent quærelam inofficiosi testamenti, ita præteriti, dummodo intra decem menses vivi, præfecti & in monstrum non declinantes nascantur *l. 3. 4. C. de postb. her. inst.* ipso jure testamentum rumpunt, tanquam agnatione sui heredis *l. 3. pr. & §. 1. ff. de inj. rupt. & irr. §. 1. J. quib. m. test. inf.*

Ad §. 2.

48. Quinam præterea sunt posthumorum loco?

Illi quos DD. quasi posthumos appellant, qui non post mortem parentis, sed post conditum ab eo testamentum, in sui heredis locum, quasi agnascendo, succedunt, *d. l. 3. §. 1. l. 13. ff. d. 1.* Hi autem vel sunt civiles, qui post testamentum factum per adoptionem jus suorum heredum

dum consequuntur §. 4. b. vel sunt naturales, qui vel ante testamentum nati, post testamentum demum sui fiunt: vel post testamentum nascuntur, & statim sui, quod L. Vellea, cujus mentio fit in l. d. 3. §. 1. & l. 29. §. 11. ff. de lib. & postb. constitutum, est vel post testamentum, & non statim sui nascuntur, quod à Juliano L. Vellea adjectum est: hi itaque omnes, pariter ac veri posthumi, patris testamentum, si prateriti fuerint, rumpunt, vide d. l. 29.

Ad §. 3.

49 Quid si liberi sint emancipati?

Illi de jure civili nec nominatim exheredandi, nec necessario heredes instituendi, quia non sunt sui heredes, sed pro extraneis habentur §. 2. ff. de her. qual. & diff. Ulp. infr. tit. 22. nisi propter indeptam dignitatem sui juris facti sint, hi enim non perdunt jus legitimorum Nov. 81. c. 2. Et prator, qui naturalem sanguinis

rationem intuetur, omnibus liberis emancipatis, si prateriti fuerint, dat bonorum possessionem contra tabulas, l. 4. §. 8. §. ult. ff. de bon. poss. cont. tab. junge §. 5. b.

Ad §. 4.

50. Quid in liberis adoptivis observandum?

Adoptivi liberi, quamdiu in potestate patris adoptivi existunt, itidem vel instituendi, vel exheredandi sunt, sed si emancipati fuerint, inter liberos nec civili nec pratorio jure amplius connumerantur l. 13. ff. de adopt. Hodie tamen, quia adoptio patriam potestatem indistincte non tribuit, ex §. 2. Inst. & l. pen. C. de Adopt. juncto §. 5. in fin. b. decisio sumenda est.

Ad §. 5.

51. Quid novo jure constitutum est?

Imperator Justinianus in l. 4. C. de lib. prater. constituit, ut, propter rationes ibidem, & hoc §. 5. relatas, omnis differentia, quæ in hoc jure

jure inter filios & filias, adeoque inter masculos & feminas, inter natos & posthumos, suos & emancipatos, fuit, tollatur, proinde hi omnes indistinctè vel instituendi heredes vel exheredandi sunt.

52. Ergo etiam emancipati præteriti faciunt testamentum ipso jure nullum?

Non, quamvis enim sui & emancipati præteriti, circa testamenta parentum suorum infirmanda & hereditatem auferendam, eundem habeant effectum, scilicet quoad commodum, tamè eodem jure & modo non procedunt, quia illis jus civile, his autem Prætor, succurrit §. 3. in fin. h. Hunc itaq; §. per l. 4. C. de lib. præter. & §. 5. h. correctum esse, non fit verosimile.

Ad §. 6.

53. Quid in milite, jure militari testante, dispositum?

Præteritio militis, scientis

quod habeat liberos, haberetur pro exheredatione, si autem liberos præterierit, quos se habere ignorabat, tunc testamentum ejus non valet l. 9. §. 10. C. de testam. mil. l. 12. pr. 47. §. ult. ff. de bon. libert.

Ad §. 7.

54. Quid obtinet in matre, vel avo materno?

Horum præteritio similiter tacitam inducit exheredationem, quia non habent liberos in potestate, illorum enim hi non sui, sed extranei, heredes sunt l. 13. ff. de suis & leg. l. 4. §. 2. de bon. poss. cont. tab. l. 6. §. 1. de bon. poss. adeoq; illorum silentium tantum operatur, quantum patris exheredatio; nec §. ult. h. correctus est per Nov. 115. c. 3. Idem juris obtinet in liberis, qui, dum de peculio castrensi, vel quasi castrensi, testantur, non habent, ex paritate rationis, necesse, ut parentes heredes instituant vel nominatim exheredent l. 15. de in off. test.

AD

AD TIT: XIV.

De

HEREDIBUS INSTITUENDIS.

Ad Rubr.

55. Quid est voluntaria heredis institutio?

Ultima voluntas testatoris, quæ, scribendo vel nuncupando, hereditatem suam in aliquem extraneum directò post mortem suam confert. Ulti autem hereditas est successio in universum jus quod defunctus habuit l. 24. de V. S. l. 62. de R. J. ita tam necessaria est in omni testamento heredis institutio, ut nec testamentum militis sine eâ subsistat l. 3. ff. de his que in test. l. 1. §. fin. ff. de vulg. & pup. subst. quia est caput & fundamentum totius testamenti §. 34. de leg. l. 10. ff. de jur. cod.

56. Quomodo coherent §§. huius tituli?

Heredis institutio consideratur in consentaneis, & dissentaneis: Illa respiciunt materiam, quæ vel est subjectiva, re-

spiciens liberos, de quibus in genere *pr.* vel servos *pr.* §. 1. 2. 3. & tunc singulos, aut plures §. 4. vel *objectiva*, seu ipsa hereditas, quæ vel in solidum, vel per partes, relinquitur §. 5. 6. 7. 8. aut *formam*, quæ institutio heredis fit purè aut sub conditione §. 9. 10. 11. Hæc incertitudinem heredis §. ult.

Ad *pr.*

57. Quomodo potest servus heres institui?

Servus per se quidem incapax est hereditatis: attamen si alienus fuerit, ex personâ domini sui, cui hereditatem acquirat, testamenti factio cum eo est l. 31. l. 49. §. 1. h. si autem proprius ipsius testatoris fuerit, is, vel cû, vel sine libertate, heres institui potest, l. pen. C. de nec. serv. nisi à dominâ, quæ ejo nomine adulterii postulata est, id fiat l. 48. §. 2. h. l. 12. ff. qui & à quib. man.

Dd

Ad



Ad §. 1. *Servus autem.*

58. *Quid si proprius servus sine libertate scriptus sit?*

Ex ipsâ institutione fit liber, & domino heres necessarius, dummodo in eodem statu sit, ut utrumq; ex testamento illo consequatur, §. 1. *J. de hered. qual. & diff.* nec refert si dominus eum interea alienaverit, & vel rursus redemerit *l. 9. §. 16. l. 50. b. t. l. 58. de man. test.*

Ad §. 2. *Servus etiam alienus.*

59. *Quid si servus alienus post domini sui mortem instituat?*

Et is rectè heres institui potest, quia hereditas personam defuncti, non autem heredis, præsentat *l. 13. §. 2. ad L. Aquil. l. 15. de inter. injur. fac. l. 9. C. de pos. l. 22. de Usurp. & usuc.* Ad §. 3.

60. *Quid de communi ser-vo statuendum?*

Servus communis heres institutus, non pro parte virili, seu æquali, sed pro portione

domini, cuicumq; dominorum acquirit *l. 67. ff. de A. H.* Si autem ab uno dominorum ipsi libertas simul & hereditas fuerit relicta, ex constitutione Justiniani liber fit *l. 1. C. de comm. serv. §. ult. de donat.*

Ad §. 4. *Et unum.*

61. *Quot quis potest heredes instituere?*

Quia lex non definit certum heredum numerum, in infinitum h. e. sine certâ numeri determinatione, potest quis heredes scribere. In quocumq; tamen testamento heredum institutorum numerus debet esse certus, quamvis testator ad certum numerum non sit adstrictus, *l. 13. §. 1. b. t.* Adeoq; si quis omnes heredes scripserit non seriò & utiliter, ut putat *Accurs. ad h. §.* sed inutiliter testatus intelligitur. *In infinitum* autem modo significat id quod nullum finem aut modum admittit §. 2. *de nup. l. 53. ff. eod. deinde id quod in mensum est l. 61. ff. ad L. Falc. l. 192. de V. S. l. 68. de R. V.*

R. V. & nulla lege determinatum, sed arbitrio & dispositioni hominis relictum §. 4. b. l. 4. §. 2. de in lit. jur. & ita tempus certum & infinitum aduersantur l. 91. ff. de cond. & dem.

Ad §. 5. hereditas plerumq.  
62. Quomodo dividitur hereditas?

Hereditas, per se considerata, juris intellectū habet l. 50. ff. de pet. her. & ita nec divisionem in partes recipit. Quatenus tamen testator plures heredes scripsit, eatenus etiam divisionem admittit, l. 9. §. 12. b. t. Hæc autem divisio vel est legis, & ita hereditas assis nomine venit, & in duodecim uncias distribuitur, vel testatoris, & in tot partes dividitur, quot testator heredes scripsit. Et si quis in unâ duntaxat uncia, vel ex re certâ, institutus sit heres, is totum assem utiq; consequitur, quia in paganis i. c. qui non sunt milites l. 50. ff. loc. nemo potest pro parte testatus, & pro parte intesta-

217

tus decedere l. 7. de R. J. Nec testator illam accretionem, prohibere potest arg. l. 55. de leg. 1. junctâ d. l. 7. l. 39. de A. H. quia testatum & intestatum decedere pugnantia sunt, d. l. 7. nec potest successor juris, simul ex jure testati & intestati hereditatem consequi arg. l. 62. de R. J. junctâ l. 23. de u. suc. nisi ex præsumtâ testatoris voluntate possit desumi interpretatio arg. l. 74. ad SC. Treb. l. 6. in. fin. C. de fideicom.

63. Nonne patitur regula hæc exceptiones?

Utiq; 1. in milite l. 6. ff. l. 2. C. de testam. mil. 2. Si testamentum per querelam inofficiosi ex parte tamē infirmetur l. 15. l. 24. ff. de inoff. testam. Nov. 115. c. 3. l. 34. §. ult. de vulg. & pup. sufficit enim quod ab initio testatus decesserit defunctus. 3. Quando quis duntaxat ex parte capax est hereditatis l. 1. C. de sec. nupt. 4. Ex favore piæ causæ, uti DD. fert opinio, & 5. si per novam legem vel statutum hoc ita in-

Dd 2 ductum

ductum sit, ut quis testato pa-  
riter & intestato decedat.

*Ad §. 6. Si plures.*

**64. Quid juris quando te-  
stator singulis suis heredi-  
bus singulas non assigna-  
vit partes?**

Si nulli assignata sit pars  
certa, tunc omnes ex æquis par-  
tibus heredes sunt *l. 9. §. 12. b. t.*  
Si autem quibusdam partes as-  
signaverit testator, quibusdã  
vero non; tunc si assi vel du-  
pondio aliquid desit, omnes  
illi, qui sine parte scripti sunt,  
in eam vocantur *l. 17. b. t.* Si  
autem as, per partes assigna-  
tas, completus sit, dimidium  
hereditatis illi qui partes non  
habent accipiunt. Intelligitur  
enim duos asses fecisse vel in  
24. uncias divisisse heredita-  
tem *d. l. 17. §. 3. l. 20. b. t.*

*Ad §. 7. videamus.*

**65. Quid si minus distribu-  
erit testator, ut pars aliqua  
vacet?**

Pars vacans singulis tacitè  
accrescit, nam potestate juris  
in hoc resolvitur ut residua

pars accedat *l. 13. §. 2. 3. b. t.* Si  
autem singulis ultra assem as-  
scripserit tacitè singulis de-  
crescit *d. l. 13. §. 4.*

*Ad §. 8. Et si plures.*

**66. Quid si ultra assem por-  
tiones assignaveris?**

Tunc is, qui sine parte scri-  
ptus est, id quod dupondio de-  
est habet: eadem enim est ra-  
tio in asse secundo, quæ fuit in  
primo *d. l. 17. §. 3. 4.* Dupon-  
dio autem distributo, si terti-  
us sine parte institutus sit, hic  
non tam in aliũ assem, quàm  
in trientem, hereditate ad as-  
sem reductã, venit. *d. l. 17.  
§. ult.*

*Ad §. 9. Heres &.*

**67. Quenam est qualitas  
institutionis heredis?**

Quod heres possit institui  
purè, & tunc statim à morte  
testatoris potest hereditatem  
adire; vel sub conditione, quæ  
est adjectio qua actus in futu-  
rum eventum, ut valeat vel  
reddatur inutilis, suspenditur  
*l. 10. §. 1. l. 13. de cond. inst. l.  
100. ff. de V. O. l. 37. 38. 39. de R.  
C. l. u. §. 1. ff. qui pot. in pign.*

Ex

Ex certo tempore tamen, vel ad certum tempus, heredis institutio, nisi dies sit incertus, quia is conditionem facit l. 56. b. t. l. 75. ff. de cond. & demonstr. non valet l. 34. b. t. junctâ l. 7. ff. de R. J.

Ad §. 10. *Impossibilis, & II. si plures.*

### 68. Quomodo dividitur conditio?

1. In simplicem, copulativam, seu conjunctam, & alternativam seu disjunctivam §. 11. b. l. 5. ff. de cond. instit. 2. In conditionem juris, quæ vi & potestate legis actui inest l. 21. ff. de cond. & demonstr. & conditionem facti, l. 4. §. 1. b. t. quæ vel affirmativa est, vel negativa l. 22. de con. & dem. & consistit in dando, faciendo, aut præstando l. 60. d. t. junctâ l. 3. ff. de O. & A. 3. In possibilem vel impossibilem, illa vel est potestativa, quæ sine impedimento est in potestate ejus qui eam implere debet l. 4. §. 1. b. t. l. ult. de cond. instit. l. 11. §. 1. ff. de cond. & dem. vel casualis, quæ ex a-

licio arbitrio, aut solo fortunæ eventu dependet l. un. §. 7. C. de Cad. toll. l. 60. ff. de cond. & dem. vel Mixta, quæ partim ab arbitrio ejus in quem confertur, partim autem ab eventu & casu, pender: e. g. si ante calendâs Maji ex Italiâ venerit d. l. un. §. 7. l. 4. b. t. Hæc vel est naturâ talis §. 11. Inst. de inut. stip. l. 31. ff. de O. & A. vel lege l. 15. ff. de cond. instit. quæ turpis vocatur §. 24. J. d. t. l. 26. l. 123. de V. O.

### 69. Quid operatur adjecta testamento conditio?

Potestativa conditio à quocunq; herede, dummodo legitima nõ oneretur l. 36. C. de inoff. test. est implenda, d. l. 4. præ §. fin. b. t. casualis, vel mixta, sub qua filius institutus habetur pro præterito d. l. 4. l. 86. b. t. l. 16 l. 28. ff. de lib. & post. l. 4. C. de instit. & subst. ab extraneo herede omninò expectanda est, d. l. 4. ff. b. t. adeoq; liberi, sub hæc conditione positi, non habentur pro institutis l. 8. ff. si quis omiff. caus. l. 16. de vulg. & pup.

Dd 3 subst.

*subst. l. 1. C. de Pact.* Impossibilis, siue naturâ, siue lege, talis sit, in testamento, secus ac in contractu §. ii. *de inut. stip. l. 31. ff. de O. ra A.* pro non scripta habetur *l. 9. 14. 15. ff. de condit. inst.* Perplexa etiam conditio inutilis est *l. 16. d. 2.* Si conjuncta fuerit conditio, cuiusq; parendū, si alterna, satis est fieri alterutrum *l. 5. de cond. Inst. l. 129. de V. O. l. 161. de R. J.* *Ad S. ult. 12.*

79, *Estne institutio ignoti heredis licita?*

Utiq; veluti si fratris sui pe-

regrinantis filios quis heredes scripserit, quos nunquam vidit: quia ignorantia testantis inutilem institutionem non facit *l. ii. C. h. 2.* Distingendum tamen inter personam ignotam & incertam, quia hæc institui nequit *Ulp. in fr. de hered. inst.* ratio est in *l. 2. ff. qui test. fac. poss. l. 9. ff. pro soc.* Sed novissimo jure, ex constitutione Imp. Justiniani, incertis personis non tantum legata, sed & hereditates rectè relinquuntur, vide *l. 25. §. 27. de Legat.*

## AD TIT. XV.

DE

## VULGARI SUBSTITUTIONE.

### Ad Rubr.

80, *Quid est substitutio?*

**Q**uia testator, quoscunq; gradus heredum vult, in suo testamento facere potest, inde secundi, vel ulterioris heredis institutio, vocatur substitutio *l. 43. §. 2. ff. de vulg. & pupill. sub.* uri autem verbū

substitutionis, quod quamvis suppositionem & surrogationem denotat, latissimè patet, ita substitui dicuntur Judices *l. pen. ff. Jud. solv. tutores l. 4. C. de excus. tut. l. 2. C. de tut. vel car. qui sat. arbores l. 18. l. 59. ff. de usufr. §. 28. J. de R. D. pecora l. 69. d. t. l. 12. 22. de leg. 1.*

sed

sed hic ad ultimas voluntates refertur, nec sic quidem ad omnes species, arg. l. 50. de leg. 2. l. un. §. *sin autem C. de cad. toll. l. 32. de leg. 3. l. 10. ff. de mort. cau. donat. l. 6. C. de leg. l. 5. §. 9. ff. de don. inter. vir. & ux. verū duntaxat quæ in hereditati-  
 b9 contingit l. 1. l. 43. §. 2. h. t. pr. h. t. Germ. Eine unter oder affter oder Nach Erb. Einsetzung.*

Ad pr.

**81. Quomodo cobarent SS. in h. tit?**

Substitutio vulgaris proponitur in genere pr: in specie, & est liberorum hominum, in quibus consideratur modus, quatenus est simplex §. 1. vel reciprocus §. 2. & effectus §. 3. aut servorum alienorum §. ult.

**82. Estne hodiernum substitutionis usus?**

Matthias Wesenbecius substitutionis materiam ab usu iudiciorum, esse remotissimā in w. h. t. in fin. putat, cui tamen stylus & observantia expresse contradicit, cum, ut a-

lia taceamus testimonia, Baldum 15. millia ducat: ex hâc materiâ lucratum esse, testis sit Raphael Cumanus.

**83. Potestine substitutio aliter ac in testamento fieri?**

Neutiquam pr. b. l. 7. l. 36. ff. eod. l. 6. §. 1. ff. de codic. adeoque in codicillis facta ne quidem in vim fideicommissi sustinetur d. l. 7. quia directa & civilia verba naturam suam retinent, nec obliquantur, nisi in casibus exceptis, cū fideicommissum neutiquā sine verbis precariis relinqvatur l. 2. C. d. t. §. 2. ff. eod. exceptio autem est in substitutione pupillari in codicillis directo factâ, quæ in vim fideicommissi, ex singulari favore, sustinetur l. 76. ff. ad SC. Treb.

**84. Quomodo dividitur substitutio?**

Substitutionem DD. variè dividunt, & quidem in directam, seu civilem, & fideicommissariam seu obliquam l. 7. l. 15. ff. l. 5. C. de impub. & al. subst. verum hæc nom-  
 tama

tam est divisio, quam æquivoci distinctio; deinde LL. illæ potius agunt de substitutione vulgari, quæ pupillari, quam de illâ quæ fideicommissaria opponitur, quia inter substitutionem & fideicommissum perpetua differentia est §. ult. tit. seq. l. 6. §. i. ff. ad SC. Treb. l. 8. in fin. C. b. t. 2. In simplicem & reciprocam §. 1. & 3. b. l. verum enim vero uti breviloquam & compendiosam, quæ ita dicitur d. l. 8. C. b. t. speciè non agnoscimus; ita reciproca substitutio, uti appellatur l. 4. §. 1. b. t. non constituit distinctam speciè, sed duntaxat modum substituendi. 3. Vera itaque divisio est, in vulgarem, de quâ h. t. & pupillarem de quâ e. seq. uti autem hæc subdividitur in veram & exemplarem, seu quasi pupillarem §. 1. d. t. sic utraq; subdividitur, 1. In paganicam, quæ jure communi fit, & militarè, quæ est substitutio jure militari facta l. 5. l. 4. ff. l. 6. C. de testam. mil. l. 15. ff. d. l. 8. C. b. t. 2. In Ex-

pressam, & tacitam l. 2. §. 6. l. 4. §. 2. l. 45. ff. l. 4. C. eod. Illa ex verbis genericè vel specificè prolatis arg. l. 6. §. 1. de V. S. l. 27. §. 1. ff. de lib. S. posth. l. 14. ff. de supell. leg. l. 13. §. fin. ff. de reb. dub. hæc ex interpretatione legis colligitur d. l. 4. C. b. t.

### 85. Quænam est vulgaris substitutio?

Vulgaris substitutio est, quæ à quovis herede, tam heredi suo, quam extraneo, in quavis ætate, fieri potest, & quidem semper in illum casum, si primo loco institutus heres non erit, h. e. si vel nolit, vel non possit heres esse, l. 45. pr. ff. b. t. l. 56. ff. sol. matr. Unde vulgaris dicitur arg. l. 1. pr. ff. de P. V. l. 3. ff. rem rat. hab. l. 5. ff. de divort. oppositivè ad substitutionem pupillarem & exemplarem, de quâ tit. seq. idcirco duæ causæ l. 30. §. 1. b. t. vel casus, sed conditiones, substitutionis esse dicantur l. 4. §. 1. eod. l. 8. C. de imp. S. al. subst. l. 3. C. de her. inst.

Ad

Ad §. 1.

86. *Quanam dicitur reciproca substitutio?*

Quando ipsi heredes instituti l. 45. §. 1. b. t. invicem substituantur sibi §. 1. b. t. sed hæc nō est propria substitutionis species, sed tantum qualitas superiorum specierum, quia in utraq; specie obtinere potest. Dicitur autem in l. 4. §. 1. b. t. tertium substitutionum genus, ratione formulæ substituendi, non autem per se l. 15. C. de Testam. l. 2. C. comm. de Leg. perperam autem hæc à DD. dicitur substitutio breviloqua, cum etiam pluribus verbis possit fieri.

Ad §. 2.

87. *Quæ portio hereditatis ad reciproce substitutos pertinet?*

Partes quæ in institutione sunt expressæ, quamvis in substitutione sint omissæ, tamen tacite repetitæ censentur l. 24. ff. b. t. l. 1. C. de imp. & al. subst. adeoque quam quisq; partem habet ex institutione, eandem

228

& accipiet ex substitutione l. 5. l. 10. ff. b. t. nisi testator propriis nominibus substitutos nominaveret l. 124. ff. de leg. 1. l. 24. ff. ad SC. Trebell. l. 37. de stip. serv.

Ad §. 3.

88. *Quid si substitutio facta sit coheredi substituto?*

Si instituto heredi, & coheredi suo substituto dato, alius substitutus sit, hic in utramq; partem substitutus intelligitur, l. 9. ff. de suis & leg. her. quia substituto substituto, censetur etiam substitutus instituto, Eaq; de re non quidem extat Rescriptum Imp: sed responsum Juliani l. 27. junctâ l. 41. ff. b. t.

Ad §. 4.

89. *Quinam sunt effectus vulgaris substitutionis?*

1. Substitutus non admittitur, donec institutus adire potest l. 3. ff. de A. H. ad eunte, autem instituto, substitutus in perpetuum excluditur, l. 5. C. de imp. & al. l. fin. ff. de succ.

Ee

succ.



*succ. Edict.* 2. Testamentum potest à substitutione sumere vires, si institutus nolit, aut non possit esse heres *l. 2. l. 3. C. de her. instit. j. 5. § 7. ff. de inj. rupt. l. 55. de her. inst.*  
 3. Vulgaris expressa, nisi voluntas testatoris refragetur, *l. 4. C. de impub. § al. continet pupillarem tacitam l. 4. ff. b. t.*  
 4. Per substitutionem vulgarem succeditur testatori, non autem instituto *pr: Inst. b. l. 1. §. 1. ff. eod.* 5. Substitutio vulgaris impedit jus accrescendi *l. fin. C. de Instit. § subst. l. 2. §. 8. ff. de bon. poss. sec. tab. l. un. §. 3. 4. C. de cad. toll.* quia substitutio venit ex provisione hominis; jus accrescendi autem

ex provisione legis, quam illa vincit. 6. Substitutio vulgaris facit, de jure civili, ex suo & necessario herede voluntarium *l. 16. ff. de lib. § posth.*

90 *Quid si servo alieno, quē testator pro libero reputavit, substitutio facta sit?*

Quamvis aditā ab instituto hereditate, substitutio evanescat *l. 60. ff. de A. H. l. 5. C. de impub. § al. subst.* attamen ubi heres putativus liber, est servus, propter erroneam testatoris opinionem substitutus cum instituto in hereditatis partem admittitur *l. 40. ff. de her. inst.*

AD TIT. XVI,  
DE

PUPILLARI SUBSTITUTIONE.

Ad Rubr.

91. *Quid est pupillaris substitutio?*

Quā testator liberis suis, quos in potestate habet,

si intra pubertatē decesserint, de herede in testamento providet *l. 76. ff. ad SC. Treb. l. 2. pr: ff. l. 8. C. b. t.* dicitur autem pupillaris, sit quia impuberib, in patriā

in patriâ potestate constitutis, qui, nisi ad tempus mortis testatoris referantur, improprie dicuntur pupilli *l. fin. §. 2. de V. O. l. 7. §. 3. de pecul. l. 18. C. de Jur. delib. junctâ l. 239. de V. S. tantum fit d. l. 2. ff. l. 2. 4. 8. C. eod. c. si pater de Testam. in 6.* Fit autem in commodum & utilitatem pupilli *l. 42. de A. H. l. 43. in pr. ff. l. 9. C. eod.* nam potest & hujus interesse ut habeat heredem testamentariû *d. l. 42. l. 6. ff. de interr. in jur. fac. l. 1. de succ. Edict.* quem hactenus scribere nequit *l. 5. ff. de testam. pr. in fin. b.* Adeoq; cû ipsa pubertate, h. e. in masculo anno decimo quarto, in foemina anno duodecimo, expirat *S. 8. d. l. 2. l. 8. 21. 42. 46. 47. ff. l. pen. C. eod.* nec refert filii sint sive nepotes, modo, si pater eos precedat, sint instituti vel exheredati, aliàs agnascendo rumpunt testamentum *d. l. 2. pr. vers. nepotibus etiam b. c.*

Ad pr:

2. Quomodo coherent SS. in h. tit?

Pupillaris substitutio con-

sideratur in genere, quatenus dividitur in veram, quæ fit propter pubertatem *pr. b. &* quasi pupillarem, seu exemplarem, quæ fit propter amenitiam *§. 1. in specie* autem in consentaneis, respectu formæ *§. 2. 3. subjecti §. 4. 5. 6. & effectus §. 7. aut dissentaneis §. 8. § 9.*

93. Quæ sunt differentia vulgaris & pupillaris substitutionis?

Illâ est ex jure civili, Hæc ex moribus Romanorum, scil. ex interpretatione prudentum. *l. 2. §. 5. de O. J. introducta, & quidem jure patriæ potestatis pr. J. l. 2. ff. b. contra rationem juris communis, quâ quisq; sibi tantum, & de re suâ, non alii, & de re alienâ, testamenti factionem habebat l. 120. de V. S. l. 32. l. 70. ff. de hered. inst. l. 77. §. 24. de leg. 2. l. 1. ff. de Testam. ord. 2.* Illa fit à quocunq; qui testamenti factionem activam habet, Hæc duntaxat à parentibus, qui liberos habent in potestate *pr. b. 3.* Illa fit cui-cunq; heredi, hæc duntaxat

Ee 2 impu-

impuberi. 4. Illa aditione hereditatis, hac pubertate expirat.  
 94. Quoi modis potest pater liberis impuberibus substituere?

Duobus, vulgariter, & pupillariter, adeoq; si non extiterint heredes, substituto ipsi patri succedit, si vero extiterint, & intra annos pubertatis decesserint, substituto ipsius impuberis fit heres *pr. b. t.* Quando autem primo gradu illa substitutio pupillo fit, ut puta si patris hereditatem adierit, vel si pater eum exheredaverit, quia tunc pupilli bona intelliguntur *l. 2. §. 4. l. 6. l. 10. §. 5. b. t.* non tam substitutio, quam institutio esse videtur: nisi talis, vel respectu formæ, vel sequelæ testamenti paterni, cuius accessio est *l. 44. ff. b. t.* dicatur.

95. Nonne potest mater pupillariter substituere?

Non, quia liberos non habet in potestate, nam jus substituendi pupillariter, jure patriæ potestatis, quod mater non habet, *§. 10. J. de adopt.*

receptum est *pr. b. t. ff. l. 7. C. b. t.* Quod autem in *l. 33. ff. b. t.* de pupillari substitutione dicitur, illud ratione subjecti, & temporis, in quod collata est, intelligendum, cum revera sit vulgaris. Statuto tamen aut moribus idem jus, quod patri, matri etiam competere potest. Ad §. 1.

96. Quid est substitutio quasi pupillaris?

Substitutio quasi pupillaris, quæ, quia ad exemplum pupillaris introducta est *§. 1. b. l. 9. C. eod.* exemplarem DD. dicunt, est, quæ parentes liberis mente captis, si in illo morbo decesserint, de herede testamentario provident *d. l. 9.* Hac olim impetranda erat à Principe *l. 43. pr. b. t.* sed hodie humanitatis intuitu & commiseratione ejus, qui, propter vitium mentis, testari ipse nequit, ex constitit: Justiniani generaliter permessa est, *d. l. 9.* Ita ut etiam mater, quæ pupillariter nequit *l. 33. b. t.* in defectum paternæ substitutionis, *arg. l. 1. ff. de senat. q. pupillari*

pillariter possit substituere *d. l. 9. ibi, qui, vel qua testatur.* Uti autem sub mente captis hic etiam continentur furiosi *arg. d. l. 43. junctâ l. 7. §. 8. C. de cur. fur.* ita idem de prodigis, mutis ac surdis, qui nec ipsi testamentum facere possunt, statuendum est *d. l. 43. junctâ l. 18. ff. qui test. fac. §. l. 10. C. eod. l. 12. §. 2. ff. de Tut. cur. dat.*

97. Possuntne parentes mente captis liberis quemcumque pupillariter substituere?

Non, sed oportet, ut ipsis primò liberos, si qui sint, substituunt, illis autem deficientibus, fratres; si autem nec hi adsint, tunc demum quoslibet alios substituere possunt, *d. l. 9.* quod jus humanitatis, quo recepta est hæc substitutio, in substitutione extranei cessat. Nec tamen fratres omnes tenentur substituere, sed sufficit si vel unum, exclusis reliquis, substituunt, quia lex, quamvis dura videatur, ita scripta est, *d. l. 9. in fin.*

228  
98. Quot modis differt substitutio pupillaris à quasi pupillari?

1. Illa, moribus recepta est, hæc ex constitutione Principis introducta est. 2. In illa requiritur patria potestas, hæc etiam mater disponit. 3. Illa quemcumque admittit substitutum, hæc restricta est. 4. Illa fit propter ætatem, & pubertate finitur, hæc propter amentiam, & sublato morbo expirat *d. l. 9. & d. l. 43.* morbus autem debet existere tempore testamenti conditi, & mortis testatoris *l. 42. §. 2. b. t. 5.* In illa non reperitur cautum quod legitima debeat relinquere, in hæc omninò *d. l. 9.*

Ad §. 2.

99. Suntne duo testamenta in substitutione pupillari?

Quatenus in tali testamento duæ continentur hereditates, & duplex heredis institutio, duplex videtur esse testamentum; alterum quod pater sibi, alterum autem quod filio impuberi fecit, & ita pupillus habet heredem in primo gradu

Ec 3

du

du scriptum, adeoq; in bonis adventitiis institutum potius quam substitutum *l. 5. l. 10. b. t.* attamen respectu causæ efficientis, & formæ, unum duntaxat est testamentum duarum hereditatum, ita ut de jure civili pariter ac prætorio pro uno habeatur *l. 20. b. t.* quia testamentum pupilli est accessio & sequela testamenti paterni *l. 11. ff. test. quem. aper. l. 2. §. 1. l. 10. §. 3. b. t.* itaq; & una duntaxat detrahitur falcidia *l. 11. §. 5. ff. ad L. Falc.*  
Ad §. 3.

**100. Quenam est cautio meticolosi testatoris in substitutione pupillari?**

Quamvis substitutio vulgaris expressa contineat pupillarem tacitam, & hæc expressa illam tacitam *l. 4. ff. b. t.* hoc tamen, quia est ex provisione legis, poterit testator, ne pupillus insidiis vitæ exponatur, *arg. l. 39. ff. de pen. præcave l. 4. C. b. t.* adeoq; vulgarem substitutionem, quæ additione hereditatis finitur, palam facere, pupillarem autem

usque in eventum casus, consignare, ne vivo adhuc & impubere filio, illa testamenti pars aperiatur *l. 8. ff. testam. quem. aper. l. 56. ff. de fideic. lib. l. ult. ff. ad SC. Treb.*

Ad §. 4.

**101. Potestne liberis exheredatis pater pupillariter substituere?**

Potest, quia unica causa hujus juris est patria potestas, *l. 2. b.* quæ per exheredationem non tollitur *l. 20. pr. ff. de bon. poss. cont. tab. idq; evidenter probatur l. 1. §. 2. l. 10. §. 5. l. pen. ff. b. t.* nec refert quod ab eo nihil possit relinquere, cui nihil est datum *l. 1. §. 6. ff. de leg. 3. l. 9. C. de fideicom.* quia substitutio, ab onere legati vel fideicommissi, longe diversa est. Filio tamen præterito nec vulgariter, nec pupillariter potest substitui, quia testamentum illud est ipso jure nullum ergo etiam corrumpit substitutio *pr. J. de exh. lib. l. 14. §. 1. ff. eod. l. 10. §. 4. b. t. l. 8. §. 5. ff. de inoff. testam.* Posthumis etiam substitui nisi  
con-

concepti sint, pupillariter non potest l. 2. ff. b. l. 3. §. 1. ff. de inj. rupt. Err. l. 6. ff. de suis & leg. her

Ad §. 5

102. *Quomodo testamentum pupilli dependet à testamento patris?*

Quia testamentum filii est pars & sequela testamenti patris l. 38. §. 3. b. t. & respectu subsistentiæ unum testamentum, adeoq; sine hoc, ut principali l. 2. §. 2. l. 11. ff. testam. quem. aper. l. 5. §. 14. ff. de his que ut indign. subsistere non potest arg. l. 178. de R. J. Infirmato itaq; testamento patris omninò, etiam corrumpit testamentum filii l. 2. §. 1. & 4. b. t. si modus infirmandi fuerit civilis l. 13. l. 28. ff. de inoff. testam. secus si prætorius l. 34. §. ult. b. t. aut illud ex parte duntaxat infirmetur l. 8. §. 5. ff. de inoff. testam. Imo si testamentum patris sit imperfectum, ut, tanquam inter liberos factum, valeat arg. l. 21. §. 1. & Auth. seq. C. de testam. substitutio extraneo facta non valet l. 7. ibi, testamento jure facto C. b. t.

Ad §. 6.

227

103. *Quibus liberis pupillariter substituitur?*

Vel singulis, vel uni novissimo; singulis, si neminem intestatum decedere velit; novissimo, quando vult ut omnes, si intra pubertatis annos decedant, sibi invicem succedant l. 25. 37. b. t. quo casu ultimo substitutus omnium hereditates consequitur dummodo matri, Nov. 118. c. 2. & fratrum prædefunctorum liberis Nov. 127. c. 1. successio legitima relinqvatur.

Ad §. 7.

104. *Quomodo fit substitutio pupillaris?*

Non tantum expressè, quando substitutionis extrema expressa sunt, pr: J. b. t. l. 1. §. 1. l. 3. 8. 21. 31. ff. eod. sed & tacitè quæ ex interpretatione juris desumitur l. 4. ff. l. 4. C. b. t. Nec refert, sive verba directa sint, quæ substitutionem pupillarem, si intra pubertatem decesserit, respiciant, sive communia sint, e. g. filio meo succedat, C. Raynutius X. de Testam. c. si pater, de Testam. in 6.

105. Pa-

105. Potestne substitutus hereditatem paternam petere, & pupillarem repudiare?

Substitutus hereditatem patris ab hereditate filii separare nequit, sed aut utriusq; aut neutrius debet repudiare *l. 3. l. 8. §. 1. quia confusa intelliguntur bona patris & filii l. 10. pr. §. 2. b. t. l. 28. ff. de reb. auth. Jud. poss. nisi filius se abstinerit paternam hereditatem l. 12. ff. b. l. 42. de A. H.*

Ad §. 8.

106. Quando extinguitur pupillaris substitutio?

1. Si patris testamentum omnino non valeat *§. 5. b. l. 1. §. 1. l. 2. pr. l. 16. §. ult. l. 26. ff. eod.*  
 2. Si adjecta substitutioni conditio deficiat *l. 8. d. t.* 3. Si filius vivo adhuc testatore de eius potestate exeat *l. 41. §. 2. b. t. nisi propter spem juris postliminii suspendatur l. 28. l. seq. ff. b. t.* 4. Si institutus pubes factus sit *l. 14. d. t.* quia hac ætatis periodo sibi ipsi testamentum facere potest *l. 2. b. l. 5. ff. qui test. fac. poss. l. 4. C. eod.* Post pubertatem enim substitutio hæc ne quidem in vim

fideicommissi valet *l. 7. l. 43 §. 1. b. t.* secus est de Jure Can: *d. c. Raynutius* vel si testator sit miles *l. 15. ff. l. 8. C. b. l. 6. C. de test. mil.* Ad §. ult.

107. Quid si substitutio facta sit, post aditam hereditatem vel post pubertatem?

Tunc plane non valet, quia substitutio, vel in casum heredis primi deficientis, vel si institutus intra pubertatem decesserit, duntaxat fit *l. 1. ff. b. t.* per fideicommissum autem institutus rogatur aditam hereditatem alii reddere *§. 3. & t. t. de fideic. uti itaq; fideicommissum & substitutio omnino differunt Rubr. §. 1. 6. C. de inst. & subst.* ita fideicommissaria substitutio dicitur improprie talis in *l. 16. C. de pact. l. 14. C. de fideicom.* Possunt tamen substitutio & fideicommissum, salva cujusq; substantiâ, in eodẽ testamento conjungi *l. 46. b. t.* si autem institutus, cum alius substitutus est, fideicommissum gravato sit, fideicommissario, si institutus deficiat, præfertur substituto *l. 63. §. 3. ad SC. Treb. junctâ l. 4. eod. l. 74. de leg. 1.*

Examen

382.  
Succedis MAGNO DORSCHEO filius heres  
In rebus, nec non dotibus ingenii:  
Utq; Patris virtus post fata perennat in ævum,  
Heres sic hujus laudibus esse cupis.

PRÆSES.



**E**n! DORSCHEE, Patris Suboles certissima Magni,  
Ingenij vires experiere tui.

Demonstrare paras solvendo anigmata Legum

Clare, quod frugi filius esse velis.

Non cures Momos, nec murmura vana Theonum;

Sed contra nusu fervidior ruas.

JOVA det, ut sequier. si non vestigia (a) Patris

Materni saltem, possies acer (b) Avi.

(a) Pater fuit JOAN GEORGIUS DORSCHAEUS Theol.  
D. ac Prof. Argent. & Rostoch.

(b) Avus maternus LEONHARDUS, ROSA, Jctus,  
Atq; Circuli Ortenav. in Alsat. Syndicus.

Eximio ac Præcell. Juveni

DN. JOANNI GEORGIO DORSCHEO,

L. L. Cultori Solertissimo,

Affini meo jucundissimo,

tamultuario calamo

L. M. Z.

appl.

Joan Bernhardus Zinzerling.

J. D. & H. P.

Magni



**M**agni DORSCHEL quondam charissima proles  
Prodit, & ingenii divini semina pandit  
Omnibus, ostendens summa cum laude, quod olim  
Maxima spes fuerit genitoris, nam licet ille  
Eusebicus summum fuerit deus, at tamen hicce  
Nec virtute patri, nec dexteritate secundus,  
Jura probe monstrat se perdidicisse Themistæ,  
Dumq; litat Themidi summum sibi spondet ab illâ  
Nomen, uti ex sacris Genitor peperit sibi quondam,  
Sic Patris in Gnato virtus incepta virefcit,  
Sic auget claram genitoris maxima famam  
Gloria, DORSCHÆUS, sic ipse paterq; perennant:  
Quod si sic perget, doctus gratabitur orbis;  
Clarus erit scriptis Genitor defunctus ubiq;  
Clarus erit Gnatus vitâ famâq; superstes,  
Amborum stabit per quævis secula fama.

*Ira*

*Florentissimo Vn. Respondente*

*animitus gratulantur*


*Nobiliss. DN. PRÆSIDIS*

*ejusq;*


**COMMENSALES**











352.

Succedis MAGNO DORSCHEO filius  
In rebus, nec non dotibus ingenii:  
Utq; Patris virtus post fata perennat in æv  
Heres sic hujus laudibus esse cupis.

**E**n! DORSCHEE, Patris Suboles certissima  
Ingenij vires experiere tui.  
Demonstrare paras solvendo enigmata Legum  
Clare, quod frugi filius esse velis.  
Non cures Momos, nec murmura vana Theon  
Sed contra nisi fervidiore ruas.  
JOVAdes, ut sequier. si non vestigia (a) Patris  
Materni saltem, possies acer (b) Avi,  
(a) Pater fuit JOAN GEORGIUS DORSCH  
D. ac Prof. Argent. & Rostoch.  
(b) Avus maternus LEONHARDUS, RO  
Atq; Circuli Ortenav. in Alsat. Syn

Eximio ac Præcell. Ju  
DN. JOANNI GEORGIO D  
L. L. Cultori Soler  
Affini meo jucundissimo,  
tamultuario calamo  
L. M. G  
appl.  
Joan Bernhardus  
J. D. e

